

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 14.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum. Die Martis 14. Mart. 1809. (Neov. 28 Feb. 1809)

Ede! bibe! lude! — post mortem?

Vox Sardanapali.

Colloquentes Umbrae:

*Carolus Luxuriosus, P. Modestus ex Ord.
Capuc.*

M*odestus.* (Intra se) Lætus opperior horam supremam — metam votorum meorum, vitam novam. O Coelestis pater! (oculos attollens) in manus tuas — fiat voluntas tua!

Lux. Indulgeat Paternitas tua! quod interpellare audeam; Video pium esse, animum remittere cupio. Semel vixisse & cum voluptate vitam transegisse, hæc mea, dilecte Pater! est sententia; & tunc demum — Charontem exspecto, qui ad Jucundorum me transvehat eorum virorum.

Mod. Juvenis! an expendisti mente, quæ proloquebare?

Lux. Plus vice simplici! jucunde vivere, jucundum mori. Ede, bibe, lude, post mortem? vide quo vadas; hæc constans in conviviliis fuit sententia nostra; vides amande Senecio! & me aliquantum latine loqui.

Mod. Deus ad saniozem te reducat vitam!

Lux. Nugæ! nudipedem, barba promis-
sa incedere, multum hoc pro incerto; senex
Pater! male tibi consulis, si præmium nul-
lum in alio te mundo manet.

Mod. Dixisti Juvenis! Interim obligatio-
nis meæ expletionem animum tranquilliorum
adeptus sum, quam tu cum convivis, in com-
messationibus.

Lux. Hoc quidem haud inficior, altera
diè intolerabiles capitis dolores sensi.

Mod. Sit ita; verum motæ a Juvene Do-
minatione tua quæstioni respondere lubet;
ut se res tecum habebit, si vita alia datur?

Lux. Nugæ! a prima ætate id genus ar-
gumenti mihi propositum, ast jam prudenti-
or factus sum &.

Mod. Aisne dilectæ Domine! te sapien-
tiorum? quæso, sis, consideremus isthic;
Cælum favet, sol splendet, animos paul-
lum oblectemus; apud animum credo tamen
convictus es: dari omnipotens aliquid ens,
quod quæcunque vides, præcreavit?

Lux. Ita est profecto, Deus creavit cœ-
lum & terram; hoc equidem sola ratione
perspicio.

Mod. Ergo credis te ab optimo naturæ
auctore eam ob causam mentis ingenique
dotibus, bonis fortunæ, opibusque donatum
esse, ut cum amicis tuis omnia hæc munera
absque fructu, imo tuo & communi damno
prodigas, pessumdes? an sapientissimo ejus
fini te adcommodasti? dum cœno voluptatum
te immergis, dum per eas valetudinis jactu-

ram tulisti, dum ejus Majestati adhuc insultas prætexendo: Eum usque adeo injustum esse: ut nullam actionem bonam præmiiet, nullam contra puniat malam?

Lux. Obsecro, quis tam profunde meditabitur?

Mod. Amice adolescens? Cœli patent, admirari noli dum expendis: nos creaturas haud ultra 60 aut 70 annos in mundo vitam agere; imo potissimam solertium horum animalium neq; eam ætatem attingere; an non stupebis, & contremisces: si expenderis animo: has Creaturas, quæ omnem rationem curasque suas vitæ huic fluxu adfigunt, si inquam mente revolveris, his Creaturis in alio mundo æternum vivendum esse; ad quod nec minimos adparatus fecere — si expendamus: contentionem nostram opes acquirendi, gloriam, honores adipiscendi, aut consequendi, quod fortunæ ducimus, postremum nihilominus frustraneam esse; contra, si constanter seduloque adnitamur futuræ vitæ spem in nobis elicere, tum certos nos esse: statui nostro majorem tranquillitatem adferre posse, spemque hanc continuo felicitatis nostræ novam materiam alimentumque suppeditare.

Lux. Ut video puerilem institutionem mihi proponere vis.

Mod. Minime gentium! una te ad meditationem reducendi mihi mens est; qua intelligas; nullam in hac vita diuturnam reperiri felicitatem; Christiana religio, in qua

Dominatio tua educata est, beneficium est quod nos ad felicitatem isthuc ducit, quod tranquillitatem nobis adfert, affectus animi nostri moderando; proximo nostro utilem operam præstando, in doloribus patientem animum exhibendo, sincere agendo; universa doctrina Christi humanæ naturæ adeo amica est, ut ad oblectationem mentis, tranquillitatem, pacem permultum conferat; at contra: quid luculentius, quam, quæ nobis vetantur, scele-
ra? quanta miseriarum copia, quam proluxa Curarum series, arcto invicem nexu cohærentium non quæso adferuntur? usque onus gravitate luxuriæ, morborum, altercationum, odii, vindictæ interdum & egestatis intolerabile evadit, usque infirmum corpus; & adhuc infirmior anima ultimo fini inter dolores, moestosque prospectus accedat.

Lux. Quantum pervideo, Paternitas Vestra Capucinum ex me facere, & suam vitæ rationem mihi commendare apud animum proposuit.

Mod. Adolescens! noli obsecro seni viro illudere, qui suæ vocationi in hoc mundo satis fecit. Molestum hoc vitæ genus elegi, quod utile republica agnovit, hodie diversa quidem ratio est; equidem secundum professionem meam pauper eram, fortassis tamen nonnulli esurienti ad coenobii ostium consistenti famem extinxit; nolo conscientiæ Dominationis tuæ abdita penetrare, at euri-ente, inopesque vix sollicitam Dominationem suam tenuerunt. Vestis non facit mo-

nachum, at expletio Officiorum incumbentium. Ego vitæ cursus meæ exitui lætus occurro, etenim ad novam evocor.

Lux. Habeo gratias, multum venerande Pater! quod me salutari adeo doctrina imbueris. (Intra se) Vir hic me commovit, equidem ei invidio, sed quid faciam? —

Mod. Audi, sis, ejulatus! — eripe si potes, te disorimini. En humeros subjicio, tene te firmiter. — Proh Deum! aquæ incre-scunt; glacie fluctibus obruimur, domus contremiscit, adolescens libidinosus pavore correptus tremit, domus corrui; Modestus inter defunctorum psalmos coelos contuetur, domus obruit utrumque tumulatque. Ille ad novam vitam, hic ad mortem æternam transgreditur. Eodem tempore 810 animæ ad ostium æternitatis constiterunt, quorum Cadavera in regione Neomagi, Altenæ & Betmori die 16. Febr. reperta; tristis imago infortunii eluvionum. Accesserunt & alia ex aliis regionibus una earum ceteris illustrior hæc ex Ephemeridibus attulit nova:

Parisiis die 23. Febr. Monitor hodie Bajonna de 18. h. m. seqv. memorat: „Militia per prædatoriam nostram isthuc advecta Anglicanæ navis fatebatur. Classem Anglicanam Corunni digressam miserabili in statu in Angliam adpulisse. Plures vectoriæ cum omni suppellectile, quam continebant, funditus interierunt. Quæ residuæ erant, plerosque sancios, moribundosque oræ exposuerunt.

Mareschallus Dux de Conegliano (Moncey) isthuc adpulit.

Agmen Legrand circa medium hujus mensis Metis & in ejus regionem advenit.

Sequens de verbo est argumentum relationum publicarum hujatum Constantinopoli de 27. Jan. „Residua pars ad normam Europæam exercitatorum (Seymen) juncta Janitsariis novos motus excitavit, tumultuosa ratione Tophanam progressa sub pretextu: stipendia non rite sibi exsoluta esse; Exaudorationem Magni Veziri Mehemetis petierunt. Imperator Mahmudus, qui ab hac seditiosa militia prorsus independens est, se adactum ad petitioni deferendum vidit. Præfectus Jussuff quem Magnum Vezirium denominavit, est unus ex principibus viris Imperij Ottomanici. Atatis 72 annorum. Hodie Armeniæ superioris Præfectus, in qua provincia ad urbem Maadenam colendis auri fodinis potissimum vacat. Cum nuper admodum Præfecturas provincias Kutajeh; Aleppo, & Bagdad deprecatus sit, dubium est, an munus Magni Vezirii amplexurus sit. Perfecte de quibusvis ad politicum Europæ cum patria sua statum relationem habentibus adjunctis edoctus est.

Omni tempore admiratione Gallorum Imperatorem prosequabatur, Expeditionis bellicæ occasione in Aegypto magnificam prorsus de gallicanis Copiis opinionem induit, qua exercitui cum imperio præfuit, & graves Clades, ut constat, passus est, fiducia ni-

Mareschallus Dux de Conegliano (Moncey) isthuc adpulit.

Agmen Legrand circa medium hujus mensis Metis & in ejus regionem advenit.

Sequens de verbo est argumentum relationum publicarum hujatum Constantinopoli de 27. Jan. „Residua pars ad normam Europæam exercitatorum (Seymen) juncta Janitsaris novos motus excitavit, tumultuosa ratione Tophanam progressa sub pretextu: stipendia non rite sibi exsoluta esse; Exaudorationem Magni Veziri Mehemetis petierunt. Imperator Mahmudus, qui ab hac seditiosa militia prorsus independens est, se adactum ad petitioni deferendum vidit. Præfectus Jussuff quem Magnum Vezirium denominavit, est unus ex principibus viris Imperii Ottomanici. Atatis 72 annorum. Hodie Armeniæ superioris Præfectus, in qua provincia ad urbem Maadenam colendis auri fodinis potissimum vacat. Cum nuper admodum Præfecturas provinciarum Kutajeh; Aleppo, & Bagdad deprecatus sit, dubium est, an munus Magni Vezirii amplexurus sit. Perfecte de quibusvis ad politicum Europæ cum patria sua statum relationem habentibus adjunctis edoctus est.

Omni tempore admiratione Gallorum Imperatorem prosequabatur, Expeditionis bellicæ occasione in Aegypto magnificam prorsus de gallicanis Copiis opinionem induit, qua exercitui cum imperio præfuit, & graves Clades, ut constat, passus est, fiducia ni-

hilominus apud Selimum Imperatorem tanta valuit, ut & stationem porro & favorem Imperatoris retinuerit; ipse hic est, qui pacem in El Arisch confecerat. Ex quo Præfecturam Armeniæ sustinet, omni, qua potuit, ratione commercium Galliam inter & Persiam facilius reddere conatus est. Nemo illo callet artem melius Orientales pœnarum præmiorumque opè gubernandi.

Novissimæ Therano litteræ memorant: disciplinam Europæam militarem magnos in Perside progressus facere. Princeps Abbas-Myrza jam 6000 exercitum armatorum numerat, ad Europæam Tacticam exactorum &c.

Berolino die 16. Febr. Rex noster die 28. hujus isthic expectatur. Summa votorum nostrorum impleta est. Diu copia oari Capitii carere debuimus. —

Stettinio sequentia percepimus: Edita est proclamatio in hunc modum, „Consul Suxæ Cæs. Regiæ Maj. certiore facit hisce statum Mercatorum: omnem ad exterâs oras expeditionem mercium seu suspectam considerari, nisi Consulatus prævte de ea certior redditus fuerit. Cum demandatum sibi: oculum vigilem tam ad nexus commerciales cum Anglia, quam cum aliis hostilibus Statibus habere, idcirco vigore Mandatorum, & Jussorum ab Exc. Governatore perceptorum, adprehensionem eorum curaturus est, qui id genus speculationibus animum adcommodaturi. Stettini 13. Febr. 1809.

BIOGRAPHIA.

Carolus Luxuriosus; hoc nomine denotare placet hominem, præclaris mentis dotibus bonisque insignitum fortunæ, qui se in barathrum miseriæ luxu egit præcipitem. Usque ætatis 24 annum pius erat, liberalis, severus in se, erga alios indulgens — incessit in virtutis via. Tum societatem libidinosorum Juvenum secutus, qui non modo fortunis eum conspicuis spoliarunt, verum & mores tantopere corrumperunt, ut scedis inquinatus morbis, omnibus voluptatibus desertus, miserabili conditione in tugurio anus, parentum suorum olim ancillæ, ex proventibus, quos ea in servitio illo paraverat, vitam duceret, ætatis 29 anno miseris cooperatus, conscientiæ stimulis ad desperationem usque exagitatus vivere desiit. — O Adolescentes! in hac imagine discite: quonam via a luxu, & libidine in societate perversorum deducat!

Astrologia.

Infans Martio mense luo editus naturæ est humidæ: fit acutus & intelligens, loquitur libenter; animum habet discendi, vivit quamdiu Deo placet. Ergo Martialis proles aptissima est pro scriptore Ephemeridum. Quippe Novalista naturæ est humidæ, (utique suapte natura) eum oportet acumine mentis perspicaciaque præditum esse, (quod gravis ponderis) animo discendi (politicam); & profecto: vivit cum suis Ephemeridibus, quamdiu Superis visum. — (Omnia concordant ad amussim.)